

**Cogitationes, Sive Considerationes Christianae Pro  
singulis Anni diebus**

Complectens Aprilem, Majum, Junium

**Nepveu, François**

**Monachii, 1709**

Dies 18. De oratione.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60514](#)

D I E S X V I I I .

De Oratione.

I.

Quidnam causæ est , quod , cùm Christus virtutem adeò certam orationi suo nomine factæ tribuat , ea tamen tam exiguum plerumque effectum habeat ? causa est 1. Quia , cùm oramus , tales non sumus , quales esse nos oportet , sed peccato obnoxij. Peccator , qui desiderium ad meliorem frugem redeundi non habet , orationem , quam Christus nos docuit , quæque omnia nobis necessaria complectitur , recitare non potest , quin à seipso dissideat , séque condemnnet. Petit enim , ut nomen Dei sanctificetur , glorificeturque , & illo ipso tempore ei ignominiam creat ; petit , ut adveniat regnum Dei , & ipse contra id rebellat , dum peccatum regnare in corde suo patitur ; petit , ut voluntas Dei impleatur , & ipse Dei præcepta violando illi se opponit ; petit , à Deo sibi dari panem hunc , ut dicunt , supersubstantialem , hunc panem vitæ ; sed ut eum indignè sumat ; petit à Deo peccatorum remissionem , & ipse eum offendere pergit ; petit à Deo summum

K 5

malo,

Majus.

*Oratio ejus:  
fiat ei in pet-  
catum e sal.*

108.

malo, quod est peccatum, liberari, & ipse  
in eo perseverare cupit. Quām inaudi-  
ta secum ipso discordia! quanta damnatio-  
nis causa!

II. Oratio nostra effectum suum non  
habet, quia non petimus, quod petere nos  
oportet: non exaudimur, inquit S. Au-  
gustinus, nisi quatenus in nomine Serva-  
toris petimus: at in nomine Servatoris pe-  
tere non possumus id, quod saluti nostrae  
adversatur. Petis à Deo, ut in hac lite  
forensi, quamvis injusta, superior abeas:  
an non hoc est novum scelus patrare, cum  
Deum complicem, & ministrum injus-  
tiæ tuæ reddere cupis? petis à Deo sanita-  
tem, & bona, quæ ipse prævidet salutem tuæ  
obstituta, ob immoderatum, quo in ea ra-  
peris, desiderium, ob abusum, quo ea  
tractabis: hæc tibi non gratiæ, sed suppli-  
cia forent. Deus te exaudit, dum ea ne-  
gat. Tu quidem bona petere tibi videris;  
cum tamen illa tibi sint futura mala; pri-  
vatio verò eorum in maximum tibi bonum  
sit cessura. Deus non tua verba, sed de-  
sideria exaudit. Optas felix esse, hæc  
bona desiderata, ad quæ aspiras, sceleris-  
tum te, & quod consequens est, infelicem  
redderent. Ah! Domine, nega mihi,  
quidquid saluti meæ adversum petiero, &  
in hoc exaudiri cupio.

III. Orat.

III. Oratio nostra effectum suum non Majus. habet, quia non petimus, sicut oportet : non exaudiris, inquit S. Iacobus, quia male oras. Oratio tua conditionibus necessarijs destituta est, quæ eam efficacem reddant. Oras absque attentione; & cur vis, ut Deus te intelligat, cum nec ipse te intelligas ? oras absque reverentia, & ipfas tuas preces peccatum facis. An exaudiiri mereris a Deo , dum eum orando offendis ? oras absque fide viva, quam Servator semper veluti conditionem necessariam requisivit ad obtainendum, quod petitur : is enim non solùm dixit, nos, quidquid petierimus , obtenturos ; sed, quod cum fide petierimus. Tandem Iaffaris , & ab oratione desistis ; cum tamen certa orationis efficacia de lege ordinaria perseverantiæ affixa sit. Si his omnibus conditionibus oratio tua caret, in temetipsum, si non exaudiris , culpam refer.

Examineate, quænam harum conditionum orationem tuam deficiat, & impedit, quod minus exaudiatur. An non omnes istæ forsitan in ea desiderantur ?

Petitis, & non accipitis, eò quod male petatis. Iacob. 4. v. 3.

Non petitur nomine Salvatoris, quidquid est contra rationem salutis. Aug. in Ioan.

DIES